



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De angusta porta fidelium & hæreticorum. tit. 266

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

propter odium & labem schismatis, 1. Corin. 13. Si habuero omnem fidem, &c. Hæc est grauissima pœna, quam pauci agnoscunt, nec ipsimet schismatici, sicut Herodes etiam noluit cognoscere peccatum, quod occidit innocentes pueros propter Christum, Mat. 2. attamen postea sensit pœnã. Sic schismatici propter odium in clerum, perdunt fructũ sacramentorum, & mercantur sibi damnationem æternam. Sic Deus peccatum punit peccato, &c. Videmus iam ablatam omnem deuotionem in omni statu &c.

DE ANGSTA PORTA FEL  
delium & Hæreticorum.

## TITVLVS CCLXVI.



Christus saluator noster inquit: Contendite intrare per angustam portam: sed quæ est illa angusta & parua porta? Augustinus lib. de tempore Barbarico, ca. 13. Porta hæc angusta, per quam intratur in regnum, vulnus Christi est, quod vnus militum in cruce in latere Christi aperuit, Ioann. 19. Per hanc portam angustam ad regnum æternum introiêrunt, Luc. 23. quorquor de præteritis, præsentib<sup>9</sup> & futuris in Christum crediderunt: per hanc introiuit Lator, Luc. 23. Et multi alij, qui Christi sanguinem fuderunt, & postea biberunt, orante Christo patrem: Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Per hanc intrat conuersus paganus, pœnitens Iudæus. Ideo clamat Christus: Venite ad me omnes, qui laboratis, &c. Mat. 11.

Secundò, Ex illa porta iterum exit foras omnis hæreticus, omnis malus impœnitens. Nam tales nõ sunt de numero permanentium, de quibus 1. Ioan. 2. dicitur: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis essent, mansissent vtiquè nobiscum, &c. 1. Ioann. 3. Qui odit fratrem, non habet in se vitam.

P P p manen.

manentem. Non ergo omnis, qui intrat per hanc portam, manet sic in regno, sed iterum aliqui egrediuntur. sic Arrius, Iudas, Manichæus, Vniuersus, primò fuerunt Catholici, & per portam illam introierunt in regnum Christi, id est, Ecclesiam. Sed iterum egressi sunt, & sic manent obstinati. Non redeunt cum Petro, Matt. 26. vt saluentur. At vos Catholici contendite intrare &c.

Tertiò inquit Augustinus: O vos Christiani, caute Arrianam partem. Non propter tunicam (id est, terrena & prospera) perditis fidem & regnum Christi, semel ingressi in ouile ouium, Ioann. 10. permanete, seruate vnitatem & integritatem vnus tunicæ Christi, quam nec persecutores Christi ausi sunt scindere, Ioan. 19. Hanc portam agnouit Paulus, Acto. 9. Matthæus, Matt. 9. Zachæus, Luc. 19. Dauid, Psal. 50. Miserere mei Deus. Agnoscat quoque omnis peccator hanc portam, & per fidei vnitatem intret in ouile, vt permaneat vna fides, vnum baptisma, &c. Eph. 4. Et iterum Augustinus: O Hæretici, Agnoscat latro in cruce pendentem, Agnoscent inimici Iudæi, & expauescunt Christum resurgentem, Matthæ. ultimo. Et vos malè tractatis Christum iam in celo regnantem, quia laceratis & diuiditis corpus eius, 1. Cor. 12. in multas portiones, id est, sectas. Et quas oues voluit esse liberas in vno ouili, vos captiuas vestris erroribus tenetis: hic non curat opera, ille non curat sacramenta: Hic negat Eucharistiam, alter Baptisma parvulorum, &cæ. Christus venit omnes viuificare per fidem & charitatem. Vos interficitis per errorem atque odium & discordiam, sed reddituri estis rationem Domino de villicatione vestra, Lucæ 16. Sic pensandum est, quomodo multi intrant per hanc portam, id est, vulnus Christi in regnum eius, sed non permanent, quibus melius foret non agnouisse veritatem, 2. Pet. 2. &c.